



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCXXX. De Vastatione terrae Sambiensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Burchardus de Schwenden IX. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Meneko de Quersfurt XIII. Mag. Prov. in Prussia.*

**H**ic frater Bertholdus postquam dicto Castro Raganitæ præfuit modico tempore, fuit in commendatorem fratribus de Kunnigsberg ordinatus. De hujus viri vita, & virtutum refulgentia mira facta referuntur. Ipse enim cum se Domino inspirante vellet reddere Religioni, considerans illa duo scilicet, Paupertatem & Obedientiam, quæ ad Regularem observantiam requiruntur, esse communia in Religionibus & Extra; sed tertiam scilicet Castitatem quam una de arduis, quia nemo potest esse castus nisi Deus det, voluit examinare, utrum fuisset ad observantiam, castitatis aggressusque rem inusitatam & plenam periculo. Assumpsit enim Virginem Juvenem, quæ propter eminentiam pulchritudinis suæ parem non habuit in vicinis, jacensque cum ea quasi singulis noctibus in stratu suo nudus cum nuda per annum, & amplius, ut ipsa per Sacramentum suum postea affirmabat, & integritatis suæ signa ostendebat, nunquam ipsam carnaliter cognovit. Ecce mirares & stupenda, Samson fortissimus, David sanctissimus, Salomon sapientissimus, mulieris victi blanditiis ceciderunt: hic spontè consortium ejus amplectens, vicit; & in Virtutum culmine est erectus. Nunquid ergo fortior Samstone, sanctior Davide, sapientior Salomone? Si audeam dicere, salvâ pace ipsorum, utique in hoc casu.

CAP. CCXXX.

*De*

*Vastatione terræ Sambiensis.*

**E**odem anno in Autumno Rex Lethovvinorum cum octo millibus equitum intravit terram Sambiensem, & omnia adi-



*Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teut.  
Meneko de Querfurt XIII. Mag. Prov. in Prussia.*

edificia, & segetes cremavit, paucos Christianos occidit & modicam prædam deduxit, quia fratres adventum suum longo tempore præciverunt; Et cum sic pertransivisset dictam terram à fine usq; ad finem fere per XIV. dies, iter arripuit redeundi. Non tamen sine suorum gravi interitu, qui præter alios multos occisos Frater (a) Henricus de Dobia cum quibusdam armigeris (b) LXXX. Lethovinos interfecit.

*Conradus (c) de Feuchtwangh  
hujus inelyti Ordinis Magister  
Decimus sedit annis VII. Vir ma-  
gni meriti, qui multos habuit ex  
Ducibus & Baronibus Carnales  
amicos. Ob hoc Ordo multas ha-  
buit ex magistratibus prærogativas.  
Prage, diem suum ultimum obiit  
& in Drogoßitz castro sepul-  
tus est.*

## ANIMADVERSIONES.

- (a) Advocatum hunc fuisse Sambie, dicit Auctor Chronici antiqui Germ. M. S. in 4.  
(b) Idem auctor Chron. Germ. M. S. dicit, CC. Lithvanos tum fuisse occisos.  
(c) Synchronismum hunc non habet Dusburgitus; quoniam tamen hunc Magistrum Generalem agnoscit, ut infra ex cap. 259. apparet, ubi ejus fit mentio; idcirco defectum supplere voluimus ex Chronico cujusdam Anonymi Latino sermone sub Friderico Magistro Prussia scripto.

## CAP. CCXXXI.

De

*Impugnatione Castri Colayne.*

ANNO Domini MCCXC. in die B. Gregorii Martyris Fr. Meneko Mag. cum quingentis equitibus & duobus milibus peditum castrum Colayne acriter impugnavit. In hoc Ca-

*Anno Domini MCCXC. in die Potentiane Virginis i. e. XIV. Kalendas Junii civitas Achonensis à Soldano destructa est, captis & occisis Christianis infinitis.*

NOTA.

*Quod circa annum Domini Sex-  
cent.*